



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

olutionem. Sed in hoc sensu satis factio non est pars integralis, sed essentialis, quia est ipsa contritio.

44. Secunda pars hujus conclusionis, quæ asserit peccata post baptismum commissa esse materiam remotam hujus sacramenti, sequitur ex dictis in præcedenti: Tum quia materia remota alicujus sacramenti illa dicitur, circa quam versatur materia proxima: Sed actus pœnitentis jam dicti, qui sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, versantur circa peccata actualia: Ergo illa sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ. Tum etiam, quia crimen vel negotium de quo agitur in judicio civili & politico, dicitur materia illius: Sed pœnitentia, ut supra dicebamus, est quoddam judicium: Ergo peccata de quibus in illo tractatur, sunt ipsius materia, non ex qua, vel in qua, ut aqua in baptismo, & lignum in cathedra, sed materia circa quam, vel contra quam operatur sacramentum, eam delendo seu destruendo, sicut panis & vinum dicuntur materia Eucharistiæ; vel potius sicut morbi dicuntur materia medicinæ.

45. Dixi autem peccata actualia post baptismum commissa, quia nec peccatum originale, nec peccata actualia ante baptismum commissa, sunt hujus sacramenti materia; illud enim pro personis & causis Ecclesiæ jurisdictioni subjectis institutum est: At personæ nondum baptizatae non subduntur jurisdictioni Ecclesiæ, juxta illud Pauli 1. Corinth. 7. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* & istud Tridentini sess. 14. cap. 2. *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.* Peccata quoque ante baptismum commissa non pertinent ad Ecclesiæ jurisdictionem; quia sunt iis similia, quæ committuntur à non subjectis alicui regno vel provincie, extra ipsius territorium, de quibus non potest iudex illius regni vel provincie judicare; unde Ecclesia talium peccatorum confessionem non admittit, nec pro illis ullam injungit pœnitentiam. Quæ verò peccata actualia post baptismum commissa, sunt materia necessaria, vel sufficiens hujus sacramenti, dicemus infra, cum de confessione agemus.

46. Dico secundò, forma sacramenti Pœnitentiæ, sunt verba absolutionis à Sacerdote prolata. Ita definitum est à Florentino in decreto unionis, ubi sic dicitur: *Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo à peccatis tuis &c.* Et à Tridentino sess. 14. cap. 3. his verbis: *Docet præterea Sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua precipue ipsius vis sita est, in illis Ministris verbis positam esse. Ego te absolvo à peccatis tuis, &c.*

47. Ratio etiam id suadet, nam, ut supra dicebamus, sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii: At in judicio sententia iudicis se habet tanquam forma, quia est veluti complementum & consummatio illius: Ergo & absolutio Sacerdotalis, quæ gerit vices sententiæ in foro pœnitentiæ, habebit rationem formæ. De hac fusè intra differemus, & varias ac graves quæ circa Dispositam illam versantur difficultates, discutiamus ac resolvemus.

ARTICULUS IV.

Verum absolutio Sacerdotis, & actus pœnitentiæ, sint partes intrinsecæ componentis sacramentum Pœnitentiæ.

Partem negantem tenent aliqui Theologi: Sicut enim, Major, & Gabriel, existimant, formam esse partem intrinsecam hujus sacramenti: contritionem verò & confessionem, dispositiones tantum, & satisfactionem fructum illius. Contra Soto vult formam non esse nisi complementum hujus sacramenti, ejusque essentialium solis actibus pœnitentis ad aquatè consistere. Durandus verò fatetur quidem absolutionem & confessionem esse partes intrinsecas Pœnitentiæ sacramenti, sed hoc negat de contritione, quia (inquirit) non est aliquid sensibile, sed spirituale, & de satisfactione, quia non supponitur ad absolutionem, sed ad ipsam sequitur. Quam opinionem quoad satisfactionem docuit etiam Martinus. Pro explicatione veræ & communis sententiæ, sic

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico breviter: Sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinsecè ex absolutione, confessione, dolore interno, & satisfactione.

Hæc conclusio quantum ad omnes partes colligitur ex dictis in præcedenti: nam ex absolutione, sacramentum Pœnitentiæ constare videtur: quibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis, ut quæ ex materia & forma: At in omni complemento etiam artificiali materia & forma se habent partes intrinsecæ & essentielles, ut in Tractatu Sacramentis in communi contra Cabreram ostendimus: Ergo sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinsecè ex absolutione, confessione, dolore interno, & satisfactione.

Probat in super conclusio quantum ad longas partes. Et imprimis quòd absolutio Sacerdotis sit pars intrinseca hujus sacramenti, manifestum videtur: Tum quia ut articulo præcedenti ostendimus, omne iudicium intrinsecè consistit ex accusatione rei, & ex sententiæ iudicis; unde cum in foro pœnitentiæ, absolutio Sacerdotis gerat vices sententiæ, non potest esse pars intrinseca illius. Tum etiam, quia Sacerdos absolvens, verè conficit sacramentum Pœnitentiæ: Sed si ex absolutione Sacerdotis illud non componeretur intrinsecè, Sacerdos absolvens non vere ipsum conficeret: Ergo &c. Major est etiam, Sacerdos enim absolvens, est verè minister sacramenti Pœnitentiæ. Minor verò probatur: Quod nihil facit pertinens ad intrinsecam constitutionem alicujus compositi, non verè ipsum conficit: Sed cum Sacerdos absolvens nihil faciat in sacramento Pœnitentiæ, quàm absolvere, nihil ad intrinsecam ejus constitutionem pertinens faciet, si non componatur intrinsecè ex absolutione Sacerdotis: Ergo Pœnitentiæ sacramentum non conficitur, si ex absolutione Sacerdotis illud intrinsecè non constet.

Deinde quòd etiam confessio & dolor internus intrinsecè ad constitutionem hujus sacramenti pertineant, non minùs videtur certum: Si enim non essent de intrinseca ejus constitutione,

sed tantum se habent, ut docet Scotus, tanquam dispositiones ad illud; quemadmodum qui sine debita dispositione baptizatur, verè suscipit baptismum, licet indigne, quia talis actus baptizati, non est de essentia baptismi, nec de intrinseca eius constitutione, sic qui sine dolore & confessione peccatorum recipit à Sacerdote absolutionem, verum & totum sacramentum poenitentiae suscipit; quod tamen est absurdum & erroneum.

Demum quod etiam satisfactio intrinsecè ad constitutionem huius sacramenti concurrat, sic ostenditur. Omne compositum constat intrinsecè ex partibus suis, non tantum essentialibus, sed etiam integrantes; pedes siquidem & digiti constituent intrinsecè corpus humanum, licet sine tantum de eius integritate: Atqui satisfactio est pars saltem integralis sacramenti poenitentiae, ut determinavit Tridentinum sess. 14. cap. 3. & colligitur ex eo quod licet sacramentum poenitentiae non sit primariò & essentialiter, nisi iudicium reconciliatorum peccatoris cum Deo, secundariò tamen & integraliter sit insuper iudicium vindicativum iuris divini laesi. In quo differt à baptismo, quod est sacramentum purae reconciliationis: vindictio autem & ultio, sine poena & sine satisfactione esse non possit: Ergo &c.

Adverte tamen, quod licet satisfactio non sit pars essentialis, sed tantum integralis sacramenti poenitentiae, ac proinde non possit dici de essentia eius per modum partis, sed tantum de integritate; verum tamen est dicere quod est de essentia eius per modum connotati & obliqui, sive per modum termini habitudinis transcendentalis & essentialis ipsius; omne enim compositum, sive substantiale, sive accidentale, essentialiter dicitur habitudinem ad partes suas, etiam præcisè integrantes. Ex quo fit quod licet absque satisfactione, nondum in re exhibita, sed etiam imposita, possit aliquando salvari essentia sacramenti poenitentiae, imò & absque voto explicito satisfactionis, sive desiderio eam adimplendi: quando nimirum moribundus confessus absolvitur sine imposita poenitentia, nõ tamen absque voto implicito satisfactionis, sit ordinis ad illam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem conclusionis, pro sententia Scoti obijciuntur primò: D. Thomas infra quæst. 90. numerans omnes partes sacramenti poenitentiae, ex quibus intrinsecè constat, non meminisse absolutionis. Item quæst. 84. art. 1. vocat absolutionem complementum sacramenti poenitentiae, quod tamen falsum videtur, si absolutio sit de intrinseca ipsius constitutione, id enim habebit per modum formæ, atque adeò partis essentialis, quæ omnino distinguitur à complemento.

Respondet D. Thomam loco primùm citato numerare partes huius sacramenti, non omnes absolute, sed eas duntaxat quibus a de qua ipsius materia conficitur: cum quo stat quod alia sit præterea habens rationem formæ essentialis, physice ipsum componentis, scilicet absolutio, quam secundo loco vocat quidem complementum, sed intrinsecum & essentialiter (nempe in genere formæ, quæ præbet primam rationem spe-

Tom. V.

ciei, sicut anima homini) non vero intrinsecum & accidentale.

Contra secundam & tertiam partem conclusionis, pro sententia Scoti obijciuntur secundo: Si poenitentiae sacramentum non consisteret in sola absolutione Sacerdotis, sed insuper ex actibus poenitentis, contritione scilicet, confessione, & satisfactione, intrinsecè constitueretur, sequeretur quod sacerdos non efficeret tale sacramentum, subindeque quod non esset eius minister: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, nam actus poenitentis non efficiuntur à Sacerdote ministrante sacramentum poenitentiae, sed tantum absolutio: Ergo si poenitentiae sacramentum non consistat in sola absolutione, sed insuper ex actibus poenitentis intrinsecè componatur, Sacerdos non poterit dici illud efficere.

Confirmatur: Illud omne ex quo intrinsecè componitur sacramentum poenitentiae, causat physice gratiam ei propriam: Atqui sola absolutio hoc præstat, tum quia id docet D. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. quæstionem. 1. ad 2. & 3. tum etiam quia ratio id suadet; si enim actus poenitentis physice causarent gratiam in sacramento poenitentiae, poenitens diceretur seipsum iustificare, dare sibi gratiam, & remittere peccata, imò & seipsum absolvere; quandoquidem sacerdos idem solum dicitur poenitentem absolvere, quia gratiam peccati remissivam in eo physice causat, per verba absolutionis quæ profert: Ergo sacramentum poenitentiae in sola absolutione consistit.

Ad objectionem respondeo, negando sequentiam Majoris: quemadmodum enim agens naturale, licet non producat materiam, imò aliquando neque formam, eo tamen ipso quod eam introducat in materiam, dicitur producere compositum, v. g. homo dicitur generare hominem, ex eo solum quod animam unit corpori; efficere album, præcisè ex eo quod introducat albedinem in subiecto; sic Sacerdos verè dicitur ministrare hoc sacramentum, illudque efficere, non obstante quod materiam eius, in actibus poenitentis consistentem, non efficiat; ex eo præcisè quod formam in absolutione consistentem, vel physice, vel moraliter tali materiam unit.

Ad confirmationem, concessa Majori, nego minorem, nam ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 3. & quæst. 28. de verit. art. 8. ad secundum, sacramentum poenitentiae ratione utriusque partis materię & formæ causat gratiam. Neque oppositum docet in quarto sent. citato in argumento, sed tantum ait solam formam huius sacramenti habere per se primò virtutem efficiendi gratiam, cum quo stat quod actus poenitentis, secundariò, & minus principaliter, & ratione, alterius, scilicet formæ absolutionis, gratiam ex opere operato producant, ut idem S. Doctor hic quæst. 86. sequenti art. 6. manifestè declarat, his verbis: *Actus humani qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento poenitentiae: omne autem sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materię, ex utroque enim est unum sacramentum: unde sicut remissio culpe fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materię, scilicet aquæ, principaliter tamen virtute formæ, ex qua ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam & remissio culpe est effectus poenitentiae, principaliter quidem ex virtute clauis, quas*

Quæst. 111